







1
1
2
3
4
5
6
7
8



1694.

- 1^a Bodinus, Henricus: De discordiis conjugum. 3 Praefat. 1694,
1703: 1713
- 2^a Bodin, Henricus: De reservatis divinae majestatis.
2 Praefat.
- 3^a Bodinus, Henricus: De licito usu et gravissimo abusu
juramentorum. 2 Praefat. 1694: 1714
4. Cellarius, Christophorus: De origine linguae Italicae.
5. Hoffmannus, Fredericus: De nitro, ejus natura et usu
in medicina.
6. Fuchs, Petrus, a: Oratio, quam... in inauguratione
solenni universitatis Halensis... habuit.
7. Ludovicus, Johes Petrus: Historiam principatus Arqueionensis
et facti ejus novissima sub Guilielmo tertio... replica-
bunt.
8. Bajer, Johannes Wilhelmus: Ministerium evangelicum vite vacan-
tum... publico examini sistit.

- 9^{a^{ab}} Strykius, Jo. Samuel: De loco solutionis. 2 Saemph. 1694 - 1742
- 10^{a^{ab}} Strykius, Jo. Samuel: De derogatione futurae dispositionis
2 Saemph. 1694 - 1705.
11. Strykius, Samuel: De arbitrio fundati.
12. Strykius, Samuel: De jure principis circa mortuorum
judicium.
13. Strykius, Samuel: De abusu rescriptorum moratorum.
- 14^{a^{ab}} Strykius, Samuel: De appellatione illicita. 2 Saemph.
- 15^a [Laureus, [M]atthias] Daniel: De jure papali principum
Evangelicorum . . . Dissertatio altera vice edita et aucta.
- 15^b Strykius, Samuel: De jure papali principum Evangelicorum.
vini. Rec. 1738.
- 16 Strykius, Samuel: De foro ministrorum principis.
17. Thomarius, Christian: Theses XLVIII ex institutionibus
jurisprudentiae excerptae

742

is

l.

lic

18. Thomarius, Christianus: De usu juris publici Romanorum
secundum morem Germaniae et jura Borussiae regnum.

19. Thomarius, Christianus: Jura cuique... publicae
... censurae submitte.

20. Woremeister, Franciscus Hieronymus: De absolutae lethali-
tatis vulneris arteriae magna.



[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]

1

10



162

1694 10.835

41

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

De

DISCORDIIS CONJUGUM,

Quam

Annunte DEO & concedente Magnifico Jctorum Ordine,

In Academia Fridericianâ

Sub PRÆSIDIO,

DN. HENRICI BODINI,
Sereniss. ac Potentissimi Electoris Brandeb. Consilarii Consistor. & P. P.

Patroni, Hospitis & Fautoris sui summi

PRO LICENTIA

Summos in Jure Honores ritè
capessendi,

Publico Eruditorum Examine submittit,

ad diem Junii 1694.

horis ante & pomeridianis,

GOTOFREDUS BOENIGK,

Lips.

HALÆ, LITERIS VIDUÆ SALFELDIANÆ.



Inclytæ
Civitatis Gedanensis,
Senatui Splendidissimo illustri Domino
BURGGRAFIO REGIO,
Magnificis, Generosis atque Strenuis Dominis
PRÆSIDI

ac
**PRÆCONSULIBUS CÆTERIS
CONSULIBUSQVE,**

Nec non
DICASTERIO AMPLISSIMO,
*Nobilissimis, Consultissimis & Spectatissimis
Dominis*

SENIORI
ac
**CONSENIORI CÆTERISQVE
SCABINIS,**

**Patribus Patriæ Optimis & Prudentissi-
mis Dominis Patronis atq; Promotoribus suis
æternùm venerandis,**

Hoc quicquid est
**Inauguralis Disputationis Specimen humil-
limè offert,**

In sui studiorumque suorum commendationem Autor,

GOTHOFREDUS BOENIGK.



I. N. J.

CAP. I.

De Origine discordiarum inter
Conjuges.

§. I.



Individuam animi corporisque consue- *De Conjugi-*
tudinem Conjugium esse, & Conjuges *bus in gene-*
à conjungendo dictos, in vulgus etiam *re.*
notum est. An verò Conjuges appel-
lari possint personæ desponsatæ, & quæ
quidem animo, non tamen corpore
junctæ sunt, in disceptationem venit.
Ego quidem illas planè Conjuges esse nego; attamen,
cum in multis juris nostri articulis, maritus pro sponso, *An personæ*
& uxor rursus pro sponsa accipiatur, qualia exempla oc- *desponsatæ*
currunt in l. 5. C. de bon. quæ lib. in l. 4. ff. de fund. dotal. l. 6. sint Conju-
& 8. ff. de grad. & affin. illæque in proximâ spe conjuges ges.
sint, existimo, pleraque, quæ de Conjugibus dicuntur, ex-
tra indissolubilitatis vinculum ad desponsatas quoque ap-
plicari posse, nisi Lex ejusve ratio, vel consuetudo aliud
quid introduxerint. Quod multo magis procedit in illis,
qui invicem ut maritus & uxor cohabitare constituerunt,
ac ita concubuerunt, neglectâ licet sacerdotali copulâ, ut-
pote

A 2 -

pote

4 CAP. I. DE ORIGINE DISCORDIARUM

Benedictio sacerdotalis non est de substantia matrimonii. pote quæ nec de Jure Divino D. Joh. Gerhard. tom. 7. locor. theolog. de Conjug. p. 91. §. 47. nec de Jure Naturæ. Dn. Struv. Exercit. Jur. Civ. 10. §. 16. Carpz. Jurispr. For. p. 3. c. 14. def. 12. nec de Jure Gentium. Dedek. Consil. Theol. part. 3. libr. 2. de Sponsalib. sect. 1. num. 41. nec de Jure Civili. L. Nuptias. ff. de R. J. ad substantiam matrimonii necessaria est, quamvis pro adjuncto quodam hypothetico de Jure Ecclesiastico hodierno venditari possit. Undè etiam statuendum, si sponsus & sponsa ante benedictionem sacerdotalem concubuerint, & sponsus diem suum obierit, relictâ sponsâ gravidâ, partum ex ipsâ natum esse legitimum, & per consequens patri suo succedere. Mæv. part. 2. decis. 81. Carpzov. libr. 3. constit. 14. def. 10. Struv. Jurisprud. libr. 1. tit. 7. §. 4.

§. II.

Conjugium societas inæqualis est.

Cùm autem Conjugium, de quò modò diximus, involvat Societatem quandam inæqualem, ubi uni Imperium concessum est, alteri relictâ saltem gloria parendi, & verò quandoquæ ex hâc inæqualitate innumeræ oriuntur Discordiæ, fortè, quòd idem velle & idem nolle debere, secundùm proverbium, non sit optima amicitia: intererat sanè scire, ex unâ quidem parte, quousque imperium illud sese extendat; ex alterâ, quomodo discordiæ Conjugum ex abusu Imperii, vel neglectâ obedientiâ ortæ sopiri debeant.

§. III.

Datur Imperium Maritale.

Esse Imperium quoddam Maritale, marito in personam & bona uxoris competens, ex solâ naturâ societatis conjugalis, & factò humanò, citra expressam & positivam Dei voluntatem, licet multi in dubium vocaverint, fortè, quòd apud nonnullas gentes, ex perversâ quâdam consuetudine, uxori potestas in maritum competierit, aut, quòd à naturâ omnes simus æquales; frustra tamen hanc suam disceptationem susceperunt. Sicuti enim quivis Ordo

Recto-

837

INTER CONJUGES. 5

Rectorius naturâ suâ importat imperium quoddam, ita, etiam ille, quem maritus & uxor inter se tuentur, rectorius ordo, suâ naturâ arguit imperium, quod maritale ab illâ personâ, cui quæsitum est, itemque connubiale, à societate in quâ vires suas exferit, appellamus. Habet, *In quo fundamentum habeat.* fanè hoc imperium fundamentum suum in ipsâ sexus præstantiâ & sine conjugii; cum conjugium nihil aliud sit, quàm pactum quoddam inæquale, in quô uxor marito observantiam maximè, hic illi protectionem debeat. *Consultis. Dn. Thomasius in Jurisprud. Div. libr. 3. cap. 2. §. 108.* Neque enim se invicem destruunt metus imperii & amicitia conjugalis, non magis, quàm imperium in principe amorem civium, aut imperium patris in liberos amorem prolis per se extingvit. *Illustr. Dn. Pufendorff. de Jur. N. & G. libr. 6. cap. 1. §. 11.* Cui accedit ipsa Lex socialitatis, quæ vult: meliores semper deterioribus imperare.

§. IV.

Videamus autem, quousque imperium illud, quod marito in uxorem asseruimus, naturaliter (i. e. abstrahendo à Legibus Positivis & Civilibus) sese extendat. His enim consideratis facile erit judicare de iis, quæ jura civilia vel circa ampliandam, vel restringendam hanc potestatem addiderunt. Communis sententia est, maritum non nisi in actibus ad matrimonium & finem matrimonii spectantibus aliquam potestatem in conjugem habere. Vid. *Grot. de J. B. & P. libr. 2. cap. 13. §. 20.* cum cæteroquin societas hæc, & propagatio generis humani, quæ solo pacto & amicitia (ex eorum mente) continetur, sine imperio intelligatur. Verius tamen est, marito indistincte imperium quoddam in uxorem competere, tum ratione corporis, tum ratione bonorum, in tantum, ut uxor non solum citra consensum mariti se bonave sua validè alteri obligare non possit, sed etiam ut (1) mariti-domicilium sequi teneatur. *Grot. libr. 2.*

de J. B. & P. cap. 5. §. 8. (2) consensum de actibus libero-
rum consensui mariti subordinet. (3) nihil in præjudicium
mariti alienare, promittere aut contrahere possit, in tan-
tum, ut maritus vota & juramenta contractui aut aliena-
tioni in præjudicium suum adjecta rescindere & irrita
reddere possit. (4) ut vel ex petulantia vel negligentia ar-
bitrariè castigari. (5) ut in casu, ubi monita sunt frustra-
nea, & modica correctio rejicitur, verberibus debito mo-
do coërceri possit, (6) ut in negotiis familiam concernen-
tibus jus vitæ & necis, in casum, si cesset judicium civile,
v. g. si infantem in eremo occiderit, ipsi marito competat.
Henniges in Commentur. ad Grot. p. 58.

§. V.

*Illustrantur,
quæ de Impe-
rio Maritali
dicta.*

Ad illustranda hæc, quæ de Potestate Maritali ejusq;
effectibus ratione bonorum & personæ uxoris diximus,
apprime facit, quod hanc in rem habet Cato in *Orat. pro
L. Oppian.* fræna per castigationem injicere nos debere im-
potenti animali (mulieri scilicet) ne si par esse ceperit,
continuo superior esse velit. Hæc enim est mulierum in-
doles, ut officium suum sponte sua, sine frænis maritali-
bus & aliquali castigatione vix exhibeant. Notus est vul-
gatus ille versiculus:

Nux, asinus, mulier, simili sunt lege ligati:

Hæc tria nil rectè faciunt, si verbera cessent.

qui licet de omni uxore dici nequeat; probabile tamen
argumentum sententiæ isti suppeditat.

§. VI.

*An valeat
pactum de
imperio in
uxorem
transferen-
do.*

Id in quæstionem venit: quod si uxor sub initiis
Conjugii, cum sponso de imperio maritali pepigerit,
& ille astu amoris adactus promiserit, se concessurum
uxori suæ in omnibus imperandi potestatem an pactum
illud servare teneatur? videbatur, quod sic, quoniam
quilibet juri & favori pro se introducto renunciare potest.
L. favors. 6. C. D. LL. sed respondetur, quod non (1) quia
nemo

nemo sese ad ea obligare potest, quæ cum jure divino, humano & ipsa honestate pugnant. *L. Filius 15. ff. de condit. inst.* utpote quæ moraliter habentur pro impossibilibus. *Bodin. de Republ. libr. 1. cap. 3. (2)* etsi se obligaverit quis ad turpia & inhonesta, obligatio est ipso jure nulla. *L. Non dubium. 5. C. D. LL.* Pactum autem de concedendo uxori imperio, contra jus divinum est, utpote in quò marito expressè imperium concessum legimus. *Genes. III. v. 16. Epist. Paul. ad Ephes. 5. vers. 22. ad Coloss. 3. v. 8. 1. Petr. 3. v. 1. ad Corinth. II. v. 3.* contra jus gentium, cum plurimarum gentium moribus maritus semper habitus fuerit dominus uxoris. *Gudelin. de jure noviss. libr. 1. cap. 7.* contra jus Civile, ubi mariti appellantur uxorum suarum Domini. *l. 58. pr. ff. de donat. inter V. & U. l. 88. §. 2. ff. de Legat. 2. l. 12. C. qui pot. in pign.* imò & contra Jus Canonicum, in quò maritus caput uxoris constituitur. *c. 15. caus. 33. qv. 5.* & mulier disertè dicitur subjecta esse dominio viri, nullamque autoritatem habere. *can. 17. ibid.* quod adeò generaliter, verum est, ut tale pactum de transferendo imperio maritali in uxorem nullum sit, & non servandum, etiamsi (1) uxor ratione dignitatis, honoris aut divitiarum superior sit marito, quia Leges Matrimonii naturales inter illustrem & humilem distingvere nesciunt. *Vid. l. 1. C. d. dign. l. 10. C. de nupt. l. 8. ff. de senator. vel (2)* juramento pactum confirmaverit, quia juramentum induit naturam actus cui adjectum, undè si promissio nulla, si pactum nullum, juramentum quoque nullum erit. *l. 7. §. 16. ff. de pact.* aut (3) consensum suum de Imperio in uxorem transferendo aliquoties repetierit, quia quæ à consensu nostro non dependent, per consensum toties quoties declaratum convalidari non possunt. Aliquam tamen libertatem disponendi de rebus propriis, vel lege vel pactione aut consensu, mulieri concedi posse non nego.

§. VII.

*Quinam sit
debitus casti-
gandi mo-
dus.*

Cum autem castigandi potestatem in uxorem marito *debito modo* adseruimus, orta est Disputatio aliquando, quinam sit debitus ille castigandi modus. Fateor, illam uxores tractandi rationem talem non esse, qualis Domino in seruos competit, Barbaris u. sitatam, cum natura ipsa foeminas & seruos longè inter se distinxerit; concedo quoque, prudenter agere maritum, si uxori, imperium, subordinatum tamen, in quibusdam, ut in educatione sobolis quoad corporis curam, & in regendo famulatio quoad directionem ancillarum concedat; ast uerò, utrum delicti reus sit, si unam vel alteram alapam mulieri impingat, ipse mecum hæreo. Modum hunc improbant Imperatores Theodosius & Valentinus *in l. 8. C. de repud.* quòd uerbera ingenuis aliena sint, & quòd mulier, si se à marito uerberibus affectam probauerit, repudium marito mittere possit. Undè & Imperator M. Aurelius dixisse fertur: uxor admonenda sæpius, reprehendenda rarò, uolentis manibus tractanda nunquam. Barclaj. *Satyr part. 4. cap. 8.* Contrarium asserunt multi probatissimorum Ictorum sic Havemann. *in Gamol. Synopt. libr. 3. tit. 8. & lib. 4. tit. 4. posit. 6.* scribit: *non semper tenetur maritus omnia sua uerba, sesamo, papauere, ac uoluis vestire, sed obloquentem mulierem increpare, imò increpitare ei fas est, in tantum, ut debeat obloquentem mulierem palma & pugno attingere. si peccet.* Carpzovius *in Jurisprud. Consistor. libr. 2. tit. 12. def. 212.* hæc habet uerba: non inuidendam esse marito potestatem, quâ injuriam ab uxore sibi illatam uerberibus etiam repellere potest, ne uerborum suspicionem incurrat, jureque mariti se indignum reddat. Alii id restringunt ad casum summæ & extremæ necessitatis, ut scilicet tunc demum, quando omnia monita sunt frustranea, pro ratione peccati admisi, concessa sit potestas marito, alapâ unâ aut alterâ coërcere uxorem. Ames. *de Conscient. libr. 5.*

libr. 5. cap. 37. qv. 5. th. 14. p. 357. Plurimi cum Justiniano faciunt hanc regulam: ob quam causam concessum est divortium, ob eam etiam uxorem licet verberibus excipere. *Nov. 117. cap. 14.* Ego verò præter ea quæ ex *Nov. alleg.* satis clarè à Doctoribus colliguntur, distingvendum puto, an maritus uxorem bono animo, & ad ipsam emendandam alapis tractaverit, & tunc etiam extra causam divortii rectè fecit, v. g. si uxor sit garrula, & de omnibus hominibus sinistrè loqvatur, si infigne damnum dederit in re domestica, si ebriosa &c. an animo malo, & ad ipsam corumpendam vel deformandam, & sic delicti reus est.

§. VIII.

Cæterum, quousque propter alapam uxori detur actio, & qualis, infra docebitur. Hic adjiciendum, cuncta, quæ hucusque de Imperio Maritali, ejus effectibus, & in specie coërcitione mulieris dicta sunt, sub hâc limitatione intelligenda esse: *modò maritus potestate & imperio suo abusus non fuerit.* Sicuti enim in genere interest Reipubl. *Limitatio Imperii maritalis.* ne quis re suâ malè utatur, vel abutatur. §. 2. *J. D. his qui su vel al. Jur.* & propterea etiam potestas Dominorum in servos ex pietate Legislatoris restricta est, *d. l.* ita in societate Conjugali, quæ est omnium firmissima societas, præprimis cavendum erat, ne ultra modum & rationem vir in uxorem, quæ cum ipso alioquin una caro est, sævire possit. Undè & maritus unperio suo abutens non saltem extraordinariè punitur, simul & lucra dotis amittit. *Nov. 117. cap. 14. Carpz. in Pract. Crim. p. 1. qv. 12. n. 51.* sed etiam divortio & separationi quoad thorum & mensam locum dat, *Joach. à Beust. D. sponsal. & matr. p. 2. c. 9. qv. 12.* Quoniam autem infinitæ fere & adeò differentes circa Imperium hoc occurrunt inter Conjuges Discordiæ, dum scilicet maritus vel nimium sævit, vel uxor obedire detrectat, & aliæ quidem in verbis subsistunt, aliæ ad verbera perveniunt, necesse est, ut his ita præsuppositis *Transitio.*

B

deam,

deam, quid in discordiis Conjugum inter se juris sit, totamque adeo materiam in sequentibus duobus Capitulis expediam, quorum alterum de Discordiis Conjugum Verbalibus, alterum de Discordiis Conjugum Realibus brevissime tractabit.

CAP. II.

De Discordiis Conjugum Verbalibus.

§. I.

*Non omnis
discordia est
injuria.*



Ejusmodi discordie Friguscule vocantur.

Eritò cap. inscribimus de discordiis, & non de injuriis, cum certum sit, omnem injuriam quidem simul involvere, discordiam, utpote quæ fit in contumeliam ejus, qui injuriâ afficitur; sed non omnem discordiam statim esse injuriam, cum discordiæ de facto quodam aut promisso citra animum injuriandi fieri possint. Dabo exemplum, si v. g. pater uxoris marito loco dotis promiserit 2000. & filia dixerit, se promississe 1000. tunc sanè si super hâc promissione invicem discordiæ oriantur, absque injuria sunt; cum uterque justam habeat contradicendi causam. Injuria ergò tunc demùm est, si dissentiendo in contumeliam mariti quid dixerit; ut si hâc phrasi usa fuisset: maritum mentiri, non autem si dixerit: hoc non est verum. Hæ autem & cæteræ Conjugum Verbales Discordiæ in Jure nostro *Fribusculum* appellantur. l. 32. §. 12. ff. de donat. inter V. & U. s. ut alii legunt, *friguscule*, quod frigus quandoque languorem in amando, dissentientiam & offensionem significat. Atque ita cum ejusmodi friguscule non tantùm post matrimonium consummatum, sed etiam ante ejus consummationem & inter sponsores oriri experientia docet, non abs re erit, ut antequam illa consideremus, hæc breviter sub examen vocentur.

§. II.

§. II.

Qui tempus illud, quod inter votum nuptiale & *Tempus inter* eius consummationem quandoque intercedit, aliquo *sponsalia* & modo considerat, secumque expendit, quomodo illud *nuptias di-* infidiis Diaboli, calumniis hominum, rumoribus & diffamationibus vulgi vacare non possit *scordias pa-* Carpz. *Jurisprud. rit.* *Consistor. libr. 2. de 132. n. 9.* ei mirum vix videbitur; summum amoris calorem sæpius sequi summum frigus, & hujus onera interdum sustinere illos, qui eò nihil magis fugere satagunt. Nihil frequentius ferè est, quam ut alterius partis parentes de moribus, vita, fama, rebusque domesticis desponsatorum sinistrè loquantur, fortè quod nimium perdat, admodum liberalis vel nimis attentus sit sponsus &c. & ita causam suppeditent amoris remissioni, cum fieri non possit, quin insigniter bilem moveant ei, ad cujus aures similia deferuntur. Sed quæritur: utrum propter injurias à parentibus sponsæ sibi illatas sponsus à sponsalibus recedere possit? puto quod non, si graves fuerint hæ injuriæ, si leves, cum utroque casu sponsæ imputari nequeant, maximè cum à quibusdam tradatur, injurias inter ipsas personas desponsatas sponsalia non dirimere, sed componendas esse, si leves fuere; si graves, partem nocentem de non amplius offendendo cautionem præstare debere. *Dedek. in Append. Consil. Theol. ad vol. 3. sect. 3. num. 1.* quod procedere eousque puto, nisi pars læsa reconciliationem admittere nolit.

§. III.

Non minorem causam discordiis sponforum suppe- *Diuturna* ditat diuturna alterius absentia, maximè si probabiliter, *absentia di-* suspecta esse videatur. Undè quæritur: quamdiu sponsa *scordias pa-* absentem sponsum expectare teneatur, priusquam cum *rit.* alio nova sponsalia celebrare possit? Jure Civili, si nulum certum tempus præfinitum fuerit, & sponsus in eadem degat provincia, per biennium expectandum erit.

quò elapsò, iterum alii potest nubere *L. 2. C. de sponsal.* aliud dicendum, si extra provinciam vivat, tunc enim triennium requiritur. *l. 2. C. de repud.* si tamen sponsi justa & necessaria est absentia, etiam quadriennium vel longius adhuc tempus debet expectare. *l. 17. ff. de sponsal. l. 60. §. 4. ff. de rit. nupt.* Quòd si verò ob nimis diuturnam sponsi absentiam, & quòd causam dilationis sponsæ non indicaverit, & ita se excusaverit, sponsa cum alio nuptias contraxerit, arrham & sponsalicias largitates condici non posse certum est. *Tabor. Relat. Argent. 74. p. 157.*

§. IV.

Idem faciunt casus quidam fortuiti.

Accidit etiam ut casu quòdam fortuito alteruter de sponsatorum in ejusmodi conditionem incidat, ut alter cum ipso vel habitare nolit vel non possit, utpote si v. g. ad nundinas proficiscens morbum gallicum licet citra culpam reportet, si castra secutus nasum vel aliud membrum amiserit. Ex eò quæsitum fuit: *an ob ejusmodi infortunium liceat à sponsalibus recedere?* Multis fanè visum fuit, quòd non, quia quæ casu accidunt, nulla præcedente culpa, nec viribus humanis evitari, nec nobis aliquo modo imputari possunt; verior tamen est contraria sententia, tum quòd sponsalia æquiparentur contractui innominato, ubi noviter quòdam emergente, de quo contrahentes non cogitarunt, locus datur pœnitentiæ. *l. 5. pr. & §. 1. ff. d. condict. caus. dat.* quòd nec hodiè mutatum. *Carpz. p. 2. c. 33. def. 23. præprimis, si promissio contrahentium sit respectiva.* *Struv. in Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 6. th. 32.* *Hopp. in Exam. Inst. d. Obligat. qv. 40.* tum, quòd (salvò melius sentientium judicio) semper crediderim, ratione dissolvendorum sponsalium obtinere regulam universalem: quotiescunque post contracta sponsalia talis supervenit casus, qui si ante sponsalia contracta extitisset nunquam in sponsalia contracta consensum fuisset, toties judex magis ad dissolvendum, quàm ad jungendum inclinare debet, cum
ejus-

eiusmodi coacta matrimonia difficilem ut plurimum soleant habere exitum. *cap. 2. § 17. X. de sponsal.*

§. V.

Ex his & illud colligere licet: si sponsus solà cuiusdam virginis pulchritudine allectus ipsi promiserit sponsalia, illa vero, antequam nuptiæ contrahuntur, per phariolos die *Pocken* adeò deformat reddatur, ut ipsa *Deformitus.* amplius amare nequeat, posse illum à sponsalibus recedere, modo iuraverit, se ipsam non desiderasse, nec amare potuisse, si ante sponsalia tam deformat fuisset, quia quæ in animo consistunt, juramento probanda sunt. Nihil autem interest an casus fortuitus tangat immediate ipsam sponsam an saltem parentes ejus, modo talis sit, qui excludere potuisset infallibiliter consensum sponsi, si ante sponsalia contracta extitisset, undè, si v. g. bona sua parens dilapidaverit, & bancorruptor factus sit, qui erat vir optimæ famæ, ubi sponsalia contraherentur, puto sponsum, si jurare velit, se non potuisse nec posse vivere cum virgine ex patre tali oriunda, ad consummandas nuptias cogi non posse, quemadmodum nec tunc, si parens propter crimina justè incarceratus aut ad torturam damnatus fuerit, cujusmodi exemplum non ita pridem in vicinia contigit.

§. VI.

Quo fortius autem est vinculum inter conjuges, postquam una caro facti sunt, eò certius est, per solas discordias verbales illud tolli non posse. Ut enim taceam, *De Discordiis Verbalibus Conjugum.* Legem suprà allegatam *L. 32. §. 12. ff. de donat. inter V. & U.* generalem esse, & generaliter quoque accipiendam, constat longè aliam esse naturam nuptiarum, quàm sponsalium, cum ibi res amplius non sit integra, & individua ex lege Dei contracta consuetudo. Atque adeò danda est opera sedulo, ut quantocyus in amicitiam redeant, quod melius fieri non potest, quàm ut res tota deferatur.

Confessionario, qui eam personam, quæ reconciliari de-
tractat, tamdiu à S. Cœna repellat, donec in gratiam cum
altera regressa fit, reservata etiam arbitraria coercitione,
pro modo circumstantiarum. Ille autem qui conciliationem
quælit, salva conscientia ad S. Synaxeos usum admitti
potest. Carpzov. *Jurispr. Consistor. libr. 2. def. 288. n. 13. Conf.*
Consil. Theolog. Witteb. volum. 4. p. 56.

§. VII.

*Si maritus
partum pro
agnoscere
nolit.*

Inter quotidianas illas discordias agmen ferè ducit
controversia; si maritus partum pro suo agnoscere nolit,
fortè quod ipsi planè non sit similis, aut quod fama fue-
rit, absente eo, mulierem cum alio consuevisse. Ad
tollendam hanc discordiam discrimen erit faciendum,
utrum ex solis præsumptionibus maritus judicet, & non
erit audiendus, quoniam nemo ex præsumptionibus
condemmandus *L. absentem. ff. de poen. maxime, ubi alia
in contrarium eaque major præsumptio obstat, qualis
est in nuptiis, ubi filius esse præsumitur, quem justæ nu-
ptiæ demonstrant l. 6. ff. d. his qui sui v. al. j. s. an verò ex
infallibilibus indiciis, v. g. quod uxor ipsa quibusdam ac-
cedentibus aliis adminiculis hoc confessa fuerit, aut quod
ipse cum uxore intra tantum temporis spatium, quantum
ad legitimam prolem requiritur, non concubuerit, aut
quod planè ad coeundum inhabilis sit, & tunc puto ipsum
ad agnoscendum partum pro suo cogi non debere vid. l.
filius 6. ff. de his qui sui l. alien. Jur. sunt. Exceptio tamen
est, si uxor ex odio aut ira in maritum partum suum esse
negaverit. Vid. *L. Imperatores 29. ff. de probat.**

§. VIII.

*An mulier
contra mari-
tum injuri-
antem retor-
quere possit?*

Id quoque non est prætereundum, si maritus uxorem
injuria verbali affecerit, an illa contra ipsum retorsione
uti possit? de retorsione ita ego sentio: eam quidem ob-
lites abbreviandas & ita intuitu commodi publici in foro
externo, civili & soli posse tolerari, in foro tamen consci-
entia,

entia, interno & poli omni modo esse illicitam, quia est species vindictæ privatæ ex rancore animi ut plurimum oriunda. Cui accedit, quod Christiano hominè indignissimum sit, retorquere, imò suo modo etiam inutile: aut enim ea, quæ per injuriam nobis objiciuntur, vera sunt, & retorsione falsa reddi non possunt, v. g. si fur notorius alteri retorquere velit, *er mögte selbst ein Dieb seyn* per hoc à furti suspicione se non liberabit, aut falsa sunt; & non merentur retorsionem; cum convitium non in convitiatum, sed convitiantem recidat, perindè uti jaculum, si in solidum incidat, per se retorquetur in mittentem. Unde etiam rectè apud Tacitum dicitur: Convitia, si irascaris, agnita videntur, spreta autem exolescunt. *libr. 4. annal.* Nihil proindè retorquens proficit aliud, quàm quod fumum vitaturus in flammam incidat. Vid. Tract. Gerhardi Pfannkuchs *de prohibitis verbal. injur. retors.* Magnif. Dn. Struv. *oppositus*, ubi illud, quod breviter dixi retorsionem in foro interno esse prohibitam, prolixius & solidè demonstratum reperies. Quod ad casum ipsum attinet, an uxori liceat retorquere marito, dico quod non, idque tam de foro externo quam de interno. De hoc, quia omnis retorsio ibi prohibita, & verò à veritate subalternantis ad veritatem subalternatæ firmissima valet consequentia; de illo, quia ratio formalis retorsionis consistit in legitimo modo, atque verò legitimus modus exceditur, si persona inferior superiori, uxor marito retorqueat, quia tunc nulla est proportio inter injuriam illatam, & inter injuriæ illatæ propulsationem, quemadmodum, si filius patri, servus domino, discipulus præceptori, subditus Magistratui retorserit, illicita est retorsio & arbitrariæ pœnæ subjacet, undè non dubito, uxorem, si marito ipsum appellanti *eine Hure* retorserit, *er mögte so lange ein Schelm seyn/ bis sie eine Hure würde/* vel ab ipso marito debite castigari, vel à magistratu arbitrariè puniri posse.

§. IX.

*Discordia de
dote non so-
luta.*

Succedit huic alia non minus quotidia-
na inter Conjuges Discordia, si dos promissa non soluta fuerit.
Scilicet accidit sæpè, ut sub tractatibus matrimonii aurei
promittantur montes, nuptiis verò subsecutis & celebratis
vix obulus solvatur, ita dolo apertissimo ad contrahen-
dum inducuntur sponsi, & infausta indè oriuntur matri-
monia, litibus & rixationibus plena. Undè dùm mariti
de dote non soluta conqvesti sunt, quæsitum fuit: utrum
ne maritus propter dotem ipsi non solutam, uxorem ex-
pellere, aut alimenta eidem denegare possit? Ratio, quæ
dabium hoc movisse videtur, ea est, quod omnis promissio
sub certa conditione facta resolvatur si, conditio illa non
extiterit. §. 6. jnst. d. V. Obl. cum simil. cui accedit, quod
jura nostra non decipientibus, sed deceptis succurrant.
*l. 1. ff. de dol. mal. vid. l. 110. §. 4. ff. d. Reg. 1. ex quibus ra-
tionibus multi quoque ad quæstionem affirmativè respon-
derunt, uti videre est apud Schneidew. in Comment. ad J.
ad §. fuerat. J. de action. Gail. libr. 2. observ. 87. n. 4. Mynf.
Centur. 1. observ. 64. Coler. de aliment. cap. 10. n. 5. Aliis ta-
men æquior visa fuit contraria sententia, cui & ego me-
ritò subscribo partim, quod rationes affirmantium nihil
inferant, partim, quod matrimonium etiam sine dote esse
possit, & ipsa indissolubilis cohabitatio non à dote, sed ab
ipsa Lege divina ortum suum habeat. Nec obstat, quod
dos primariò intuitu onerum matrimonialium & alimen-
torum præstandorum solvatur, & ita cessante causa cesset
quoque effectus, namque si maritus opera conjugalia,
quæ præstat uxor consideret, cujusmodi sunt, puerperia,
obsequia, officia & operæ familiares, ad alimenta se ad-
strictum satis cognoscet. Beust. de matrim. c. 66. Hunn. ad
Treutler. volum. 2. disp. 7. th. 5. qu. 37. quanquam illud dif-
fiteri nolim, contra promittentem actionem dari, nisi vel
ob pauperiem solvere nequeat. l. 6. ff. de dol. mal. vel am-
biguè*

843

biguè responderit, dicendo v. g. *wer seine Tochter haben
wolle/ der solle 1000. fl. haben/* quia tunc sponsus sibi im-
putet, quòd non clariùs locutus fuerit. *L. Veteribus 39. ff. d.
pact.* quanquam ut dotem congruam constituat, officio
Magistratus cogi possit, non tamen ita ut licet cum pace
conjugum uxor cum familia focero remittatur donec do-
tem constituat; uti aliquando voluerunt Helmstadienses
hoc enim ferè necessariò ansam discordiarum vel inter-
parentes & filiam vel inter conjuges præbebit, quorum u-
trumque omnimodo præcavendum.

§. X.

Eadem ratione inter se discordant conjuges, si
maritus ante nuptias debita contraxerit, & vel dolose
tacuerit, vel planè negaverit, tunc n. uxor solutionem
creditoribus ex suo denegabit, quæritur itaque: an uxor
debita à marito contracta solvere teneatur? quod nego
quia de non cogitatis nõ consensisse præsumuntur contra-
hentes, maximè, ubi de damno & præjudicio agitur. Quod
eatenus ampliandum, ut non teneatur solvere etiam si
(1) communionem bonorum inierint. (2) etiam si mari-
tus in obligatione promiserit, se soluturum, si divitem
accepturus sit sponsam.

CAP. III.

De Discordiis Conjugum Rea-
libus.

§. I.



Discordiæ Conjugum Reales sunt, ubi Conju-
ges sibi invicem violentas manus inferunt. *Quid sint di-
scordiæ rea-
les.*
Quod fieri potest vel naturaliter & imme-
diate, fustigando, cædendo, pungendo, vi-
tæ insidiando aut occidendo; vel moraliter
& mediatè, permittendo, jubendo media suppeditando,
ut alteri vis inferatur quocunqve modo Videamus itaque
paucis, quid in ejusmodi casibus juris sit.

C

§. II.

§. II.

*An uxor pro-
pter alapam
acceptam
habeat acti-
onem?*

Et primò quidem discéptatur: an uxor propter alapas habeat actionem & qualem? Contra conjuges non dari actionem famosam injuriarum constat *ex l. 1. §. 2. ff. de act. rer. a not.* quæ ergò, cum jura malitiis maritalibus non indulgeant? Communis sententia est, quæ distingvit: an uxoris magna culpa præcesserit, v. g. si uxor ignorante vel prohibente marito extra ædes noctu manserit, vel cum viris extraneis convivata sit, vel Comædiis interfuerit, vel balneis &c. & ita nullam propter alapas habebit actionem, quia maritus tunc jure suo usus esse videtur & ita nemini fecit injuriam. *l. 13. §. 1. ff. de injur. Farinac. qu. 143. n. 204.* an nulla vel exigua ejus præcesserit culpa, maritus verò ex pravâ consuetudine idem factum sæpius reiteret, & tunc dari omninò actionem ad divortium quoad thorum & mensam, per regulam generalem; quod quicumque jure suo abutitur, se reddat eò indignum, maximè si alaparum tanta fuerit vis, ut sangvinem elicuerint. *Illustr. Dn. Stryke in Disput. de Alapa. cap. 2. n. 8.* Huic sententiæ opponitur sententia alia, ipsi è diametro contraria, eorum scilicet, qui mulieres nullo modo verberari posse prætendunt. Huic præ cæteris subscribit Henricus Brouwer Jct. Batavus, qui in *Tractat. de Jure Connub. ap. Batav. recepto. libr. 1. cap. 29. §. 11. p. m. 660.* dicit: *Uxorem verberibus excipere omni Batavo dedecori & vitio vertitur. Mollioris animi & flexibilioris nature sunt nostrates mulieres, ut blandâ oratione & palpo flecti facile possint: liberatioris ingenii & genii, quàm ut fustes & flagella pati queant, adeò, ut si eas verberibus excipias, ex immorigeris contumaciores reddas, sin blandis verbis, & oratione svasoriâ aggrediaris, facile ad obsequium reducas: similes rosis, quarum si mollitiem, extremis digitorum molliter delibes, fragranti nares perfundunt odore, si fortiter premas, transactis spinis pungunt.* Hujus singularem in sexum muliebre propensionem uti satis mirari non possum, maximè postquam legi *d. l. §. 14.* quòd scribat: mulierem, quæ invito licet marito theatralibus ludis, & circulatorum ineptiis sa-
pisu

pius interest, pudicitiam suam minimè suspectam redde-
re; ita fateor, non prorsus mihi displicuisse, quod B. Ca-
lovium aliquando dixisse referunt: Wann die Frau das
Schwert in dem Munde führt/ so schlägt sie der Mann billig
auff die Scheide / cum credam, maritalem potestatem, à
Deo & naturâ ipsi concessam, sine modicâ coërcitione,
nullam esse. *arg. l. 1. C. de emendat. prop.* pertinent huc ver-
ba der Platdeutschen Bibel.

§. III.

Quod si uxor prægnans sit, & ita tractaverit eam, *Quid si uxo-*
maritus, v. g. percutiendo, de scalis deijciendo, ut vel *rem præg-*
ipsa, vel partus indè moriatur vel in periculum ducatur? *nantem ver-*
Sanè hi duo casus probè inter se discernendi sunt. *beravit.*
Quod enim ad partum attinet, constat ex *l. 38. §. 5. ff. de pæn.* quo-
ties quis per poculum abortionis partum in utero eneca-
vit, discrimen faciendum esse, an illud fecerit dolo malo,
& capite punitur, an citra dolum & arbitrariè plectitur, ita
ut honestioris conditionis in insulam relegentur, humi-
liores in metallum condemnentur. Undè à paritate ra-
tionis non incommodè colligo, maritum, si ideò dejece-
rit, vel percusserit conjugem, ut partus indè moreretur,
vel quoque si aliàs in re illicita versetur, ac uxorem ita
crudeliter tractaverit, ut exindè exitium partûs naturali-
ter vel admodum probabiliter seqvi debuerit, capitaliter
plectendum esse, cum limitatione tamen *Constit. Carol. art.*
133. sin minus, quod in dubio semper præsumitur, pro cir-
cumstantiis facti arbitrariæ cuidam pænæ subjacere. Ast
verò, si uxor mortua sit, indistinctè ipsum ad ultimum
supplicium rapi debere credo, quoniam is, qui in re illicitâ
versatur, aut in re licitâ illicitò modo, de omni eventu te-
netur, modò Medici non probaverint, vulnus non fuisse
lethale, quia cuilibet artificii in suâ arte credendum est.

§. IV.

Etsi verò certum sit, & ratione sua non destituatur,
maritum judicum notioni tradere debere suam uxorem,
si enormis delicti rea sit, aut si atrocitas facti jus domesti-



An uxorem
carceri in-
cludere pos-
sit.

cæ emendationis excedat. *arg. l. un. C. de emendat. propinqv.* tamen non ita certum est, an uxorem ebriosam, maledicentem, & injuriantem intra ædes carceri includere, & fame ipsam ad meliorem frugem reducere possit? Privatos carceres sub pœnâ ultimi supplicii prohibitos esse, & eos, qui contra hanc prohibitionem faciunt, crimen læsæ Majestatis incurrere constat *ex l. 1. C. de priv. carc.* scilicet, quia per tale crimen immediatè læditur publica Majestas, cum carcer sit meri imperii, & ita merum imperium sibi usurpent, qui privatum carcerem exercent. *L. 3. ff. ad L. Jul. Majest. Gigas de crim. les. majest. tit. qualiter & à quibus crimen lese majest. committ. quest. 25. n. 1. seqq.* verùm, quia nulla Regula tam firma est, quæ non quandoque patiatur Exceptionem, & verò multi sunt casus, qui sub hâc privati carceris pœnâ non comprehenduntur, v. g. si quis alterum tantum per 20. horas in carcere detinuerit. *L. 5. ff. ad L. Jul. de adul. si quis latronem, viarum grassatorem &c. L. capitalium. §. famosos. ff. de pœn. violentos fœminarum raptos. L. Raptos. C. de Episcop. & Cler. veneficos & incantatores &c. L. fin. C. de malef. & mathem.* privato carceri includerit; generaliter verum esse credo, quotiescunque quis eum eamve quam in potestate aut directione habet, correctionis & emendationis causa, carceri privato includit, toties non tantum ab ordinariâ læsæ Majestatis pœnâ, sed etiam ab omni aliâ immunis est. Atque indè statim apparet, non solum patrem liberos immorigeros ejusmodi carceri includere posse, *arg. l. 3. §. 1. & 2. ff. de lib. exhib. Paris. de Put. in Tract. syndic. verb. captura. cap. 8. num. 2.* Sed etiam maritum habere potestatem eandem in uxorem, cum non infrequens sit, à potestate patris in filium, ad potestatem mariti in uxorem argumentum quoddam ducere, Pertinet *huc text. in c. placuit. 24. qv. 2. add. Carpz. Pract. Crim. p. 3. qv. III. n. 83.* Ex quibus non incongrue deduceretur, posse quoque aliquo casu maritum torturæ privatae, ab ipso tamen expediendæ subjicere uxorem, modicæ tamen, & quæ jurisdictionem publicam & amo-

rem

rem conjugalem non violat, quæque ad eliciendas delicti circumstantias, de quo uxorem innocentem non esse jam antea certus est, emendandamque uxorem conducit.

§. V.

Non abs re sunt, quæ sinistræ parti mulieribus attribuit elogia Æneas Sylvius vir in literis versatissimus, planè postea Papa creatus & Pius II. dictus. *Epist. 106. quid est. oro, (inquit) mulier, nisi juventutis expilatrix, virorum rapina, honoris pernicies, pabulum Diaboli, senum mors, patrimoni. de vorarix janua mortis, inferni supplicium.* Cum tanta sit nonnullarum malitia, ut per eandem quandoque maritus in præsentissimum vitæ, periculum inducatur. Exempla ejusmodi malitiæ sunt ferè infinita, & scatent iisdem Criminales Doctorum Tractatus. Liceat unum vel alterum adducere, ex quò de reliquis facillimè judicari possit. Scilicet quæritur: si uxor veneno, gladio, aut aliis modis marito vitæ insidias struxerit, an ideò maritus ab ipsa separari possit? Si enim, verum est, quòd sine dubio verum, imminere hoc ipso præsentissimum vitæ periculum, tantum abest, ut cohabitationem svadendam crederem, ut potius eandem omni modò interdici velim, ne ejusmodi jurgia & rixæ miserrimum aliquando eventum, fortiantur. *arg. l. fin C. in quib. caus. rest. in integr. non est nec.* Extat in hujus controversiæ decisionem textus expressus in *Jure Canon. can. si qua mulier 6. caus. 31. qv. 1. si qua mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, & ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit, si probare potest ille vir, eam ream esse consilii, potest (ut nobis videtur,) ipsam uxorem dimittere.* Cum quo text. convenit. *L. 8. C. de repud. add. Dedek. volum. 2. consil. sect. 8. de divort. in cas. violent. & venef.* ast verò an tali casu mulierem malitiosam planè deserere, ipsaque adhuc vivente aliam superinducere possit, de eò inter DD. acerrimè disputatur. Carpzovius ne quidem separationem à thoro & mensa concedit, si ullò modò litigia inter conjuges componi queant. *Jurisprud. Consistor. libr. 2. tit. 12. def. 217.* Cum ipso convenit.

Consistorium Lipsiense, prout ejus decisionem in partem negativam refert. Dedeck. *vol. 2. p. m. 523.* Henningius svadet tentanda prius quævis remedia si periculum vitæ immineat innocenti, faciendam esse separationem quoad inhabitationem, idque ad triennium, in quò si reconciliatio fieri non possit, justè censet divortium fieri posse, nocenti verò omnem spem nuptiarum, vivente læsâ parte adimendam esse. Ego verò his non obstantibus affirmativam tuebor, citra ullum temporis respectum, ex eâ potissimum ratione, quòd à malitiosâ desertione, justissimâ causâ divortii. *1. Corinth. 7. v. 15.* ad insidias vitæ structas, & summam ejusmodi malitiâ, tanquam à minori ad majus firmissima valeat consequentia. Cui accedit, quòd quia Christus non corrigit, sed excusat Moysen, qui propter duritiem cordis populo judaico permisit divortia fieri, excusandus etiam sit pius magistratus hodiè, si succurrat Tyrannide & sævitiâ injustè pressis. Havem. *in Gamol. libr. 3. tit. 7. probl. 4.* Chytraeus *in cap. Matth. Gerhard. in Loc. de Conjug. cap. 4. quæst. 63.* Wesembec, *in Paratit. ff. de Divort. u. 9.* Moldradus *de Matrim. p. 116.*

§. VI.

De jure Canonico.

De Jure Canonico id eò magis certum est, quò clariora sunt verba Texti suprâ jam alleg. *Can. si quæ mulier. 6. caus. 31. qu. 1. ipsam uxorem dimittere, & si voluerit, aliam ducere potest,* quem Textum pessimâ fide, ut conveniret cum doctrinâ Ecclesiæ Romanæ, diu post Concilium Wormeriense introductæ ita correxit Gratianus *in cap. si quæ mulier. 1. X. de divort. ut post mortem uxoris, si voluerit, aliam ducere possit.* Si quis objecerit dictum Pauli: *1. Cor. 7. v. 10. uxor à virò non discedat, quòd si discesserit maneat innupta aut reconcilietur viro.* Respondeo: aliud est, loqui de voluntariâ & temerariâ dissolutione, de quâ Paulus agit, aliud de coactâ & necessariâ, qualis ea est, de quâ hic agimus, ubi nullus locus reconciliationi relinquitur. Vid. Hier. Prückner. *in Decis. Jur. Matrim. cap. 18. n. 19.*

§. VII.

§. VII.

Id incidenter moneri debebat, quando exempla afferuntur de summa uxoris malitiâ, divortio locum faciente, eadem per vim relationis de marito quoque intelligenda esse, ut sensus sit: per quamcunque discordiam realem fides matrimonialis in totum dissolvitur, per eam locus fit divortio, sive à marito, seu ab uxore commissa sit, quoniam utriusque quoad fidem ipsam eadem est obligatio.

Axioma.

§. VIII.

Nunc ad aliam quæstionem: si uxor crudeliter in maritum sæviens juraverit: *alle Teuffel solten sie zerreißen/ wenn sie wieder an ihres Mannes Seite kommen wolte/* postea verò pœnitentiâ ducta reconciliationem quærat, an maritus ad cohabitandum cum ipsâ autoritate Confistorii adigi possit? Casum hunc in Terminis Præjudicio Facultatis Lipsiensis decisum videre poteris apud Grûbel. *in Append. ad Consil. Dedekenn. ad sect. 8. de divort. in cas. violent. p. 873.* Sed cum inter cæteras ibi adductas decidendi rationes palmaria sit, quòd maritus discrimen vitæ, aut aliud cujuscunque generis periculum metuere non habeat, si uxor cautionem de non offendendo antecederenter præstiterit; cautio autem ista non mutet malevolum animum delinquentis. *§. pen. J. de suspect. Tut.* quin imò ad delinquendum magis invitet; statim apparet, maritum ad cohabitationem cum ejusmodi furiâ nullò jure cogi posse. Et frustra sanè ad misericordiæ januam provocat Carpz. *Jurispr. Confistor. libr. 2. tit. 12. def. 217. n. 10.* cum suâ culpâ indignam ejus se reddiderit. *a. l. 203. ff. de R. J. quin potius pertinet huc, quod idem alibi, scil. in pract. crim. part. 1. qu. 12. n. 53. habet: non solum præteritam sevitiâ, sed etiam timorem futuræ attendi debere.* Equidem si ansam dederit huic malitiæ maritus, & cæteroquin ejusdem cum uxore farina fit, aliud obtinere puto, cum ita paria delicta mutuâ compensatione tollantur. Ad quod fortè respexerunt Decanus & Assessores dictæ Lips. Facult. verbis: *indem zu solcher*

cher Zwieträchtigkeit beyde Theile / und zwar der Mann mit seiner beschuldigten Trunckenheit / und das Weib mit ihrer Hoffarth / Ungehorsam / und anderer Widerwärtigkeit / nicht eine geringe Ursache zuseyn / und also eines das andere zum Zorn zureißen scheinen.

*An maritus
uxori liti-
ganti ali-
menta præ-
stare tenetur.*

§. IX.

Cum autem controversiæ conjugum in judicium deducuntur, & lis desuper in pendentem est, quæsitum fuit: an maritus interea temporis uxori alimenta præstare tenetur. Communis sententia est, distinguendum esse, an maritus an uxor liti causam dederit si hic, non posse liberari ipsum à præstandis alimentis, quia nemo ex malitia sua debet sentire commodum. Vid. Carpz. *Jurispr. Eccles. l. 2. def. 23.* si hæc ipsam alimenta petere non posse, cum damnum suam culpam sentiat. Beust. *de Jure Connub. part. 2. c. 9. sub. fin.* at vero, cum hæc distinctio nullum fundamentum habeat, quia lite pendente non constat, quis causam dederit, & vero pendente lite nihil innovandum sit, indistinctè ipsum alimenta præstare debere sentio. Curam autem & educationem liberorum tali casu, si inter conjuges lis sit, patri concedendam volo, non matri, nisi pater talis sit, cujus impietas est maximè notoria.



§. X.

Adjiciamus casum singularem, qui non ita pridem hic locorum contigit: Caja infantem suum occiderat, criminis convicta inclusa carceri, & ad ultimum supplicium damnata fuit, durante tempore incarcerationis maritus ipsi alimenta præstare noluit, imo incarcerationem ne visitavit quidem, condidit Caja testamentum, ipsiqve portionem statutariam ex causa ingratitude ademit, quæritur: an valeat hoc testamentum? puto quod non. Vid. Kohl.

de success. Conjug. part. 1. n. 41. seqq. Carpz. Jurispr.

For. p. 3. c. 26. def. 15. Berlich. p. 3.

conc. l. 36. n. 27.



Halle, Diss., 1694

ULB Halle 3
001 508 490




5b

VOM







62

1694

100835

ti

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

De

DISCORDIIS CONJUGUM,

Quam

Annunte DEO & concedente Magnifico Jctorum Ordine,

In Academia Fridericianâ

Sub PRÆSIDIO,

DN. HENRICI BODINI,
Sereniss. ac Potentissimi Electoris Brandeb. Consilarii Consistor. & P. P.

Patroni, Hospitis & Fautoris sui summi

PRO LICENTIA

Summos in Jure Honores ritè
capessendi,

Publico Eruditorum Examine submitte,

ad diem Junii 1694.

horis ante & pomeridianis,

GOTOFREDUS BOENIGK,
Lipf.

HALÆ, LITERIS VIDUÆ SALFELDIANÆ.